



Nazwa instytucji

Książnica Cieszyńska

Tytuł jednostki/Tytuł publikacji

**Leop. Ioan. Scherschnick Teschin. C. R. Gymnas. Praefecti
Doctrina de epistolis.**

Liczba stron oryginału

16

Liczba plików skanów

16

Liczba plików publikacji

17

Sygnatura/numer zespołu


SZ Supl. I 00068

Data wydania oryginału

1812

Zdigitalizowano w ramach projektu pt.

**Udostępnienie cieszyńskiego dziedzictwa
piśmienniczego on-line**



**Fundusze
Europejskie**
Program Regionalny



Śląskie.

Unia Europejska
Europejski Fundusz
Rozwoju Regionalnego



mr inw. 68


LEOP. IOAN. SCHERSCHNICK

TESCHIN. C. R. GYMNAS. PRAELECTI

DOCTRINA

DE

EPISTOLIS.



TESCHINII,

impressit Thomas Prochaska,

1 8 1 2.

SZ Supl. 68 I

PRAEFATIO.

De nulla re fortasse minus inter litteratos convenit : quam de ratione scribendae epistolae. Alii quippe grandia volumina praeceptis compleverant : alii nullis plane praeceptis epistolas contineri censuerant. Sed, quantum ego intelligo, neutri recte. Illi enim a consilio bene monentis *Horatii* : *Quidquid praecipies : brevis esto*, discesserunt : isti vero minime dispexerunt : rem, quae recte, aut prave fieri possit, regulis quoque quibusdam includi posse. a) Qui enim, quaeso, doctor sine his pueros in scribendis litteris instituat ? Qui, quod non raro

(2

a) Cum plerique temere ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem, aut propter consuetudinem aliquam callidius id faciant : non est dubium : quin, si quis animadverterit : quid sit : quare alii melius, quam alii dicant, id possit notare. Ergo id qui in toto genere fecerit : is si non plane artem, at quasi artem quandam invenerit. Cic, de Orat, II, 8,

accidit, eos a via deflexisse doceat : nisi viam ante, et flexus eius omnes, errorumque pericula indicet ? An numerum erratorum inire, et, cui discipulorum primas deferat, constituere poterit : nisi praecepta in numero habeat, in quae peccari poterat ? Quam ergo necessaria sit epistolaris disciplina : quis non videt ?

Valde in hoc mihi placeo : quod *Gellertium*, egregium epistolarum cum praeceptorem : tum artificem mecum sentientem habeam. Iuvabit ipsummet hac de re differentem, ac viam, qua in cognitionem praeceptorum devenire possis, demonstrantem audire : *Naturam epistolae*, inquit, b) *Scopumque si consulas, et paucula eloquentiae praecepta subsidio advoques : scribendarum epistolarum rationem maxime necessariis legibus nullo negotio constitues. Quod si deinde*

b) Man darf nur die Natur und Absicht eines Briefes zu Rathe ziehen, und einige Grundsätze der Beredsamkeit zu Hilfe nehmen : so wird man sich die nöthigsten Regeln, welche die Briefe fordern, leicht entwerfen können. Wenn man sich endlich gute Beispiele vorlegt, untersucht : warum sie schön sind, und sich bemühet das Schöne davon recht zu empfinden : so wird man nicht allein seine Regeln vollständiger : sondern auch seinen Geschmack im Schreiben gewisser machen. Kennt man einmal das Schöne an einer Sache : so ist es sehr leicht die Fehler wahrzunehmen. Prakt. Abhandl. von dem guten Geschmack in Briefen, S. 3.

praeclara quaequam exempla tibi proponas;
cur venusta habeantur: inquiras, operam que-
des: ut eam venustatem intimo sensu percipi-
as: non modo pleniorum praeceptionum noti-
tiam: sed styli etiam intelligentius iudicium
consequeris. Cum primum vero pulchritudi-
nem rei cuiuspiam perspexeris: errores quo-
que facillime deprehendes. Huius illustris
viri nos vestigiis inhaerentes hanc epistolas
scribendi rationem adolescentulis bonarum
artium studiosis servituram conscripsimus.

Tesehiii III. Non.
Decembr. CI^oII^oCCCCIII.

DOCTRINA DE EPISTOLIS.

1. Epistola est sermo scriptus ad absentem.
2. In omni scriptura duo se nobis offerunt consideranda: mentis cogitatio, seu inventio rerum, dispositioque; et elocutio, seu idoneorum verborum, ac sententiarum ad res inventas accommodatio. Vtrumque igitur in epistolis quoque locum habere debet.

DE INVENTIONE.

3. Cum duo sint epistolarum genera: c) unum familiare, et iocosum; alterum severum, et et grave: scripturus epistolam ante omnia circumspiciat: quid, et cui sit scripturus.
4. Cuiviscunque autem generis scribatur epistola: *morata* esse debet; id est: moribus scribentis, et eius, ad quem scribitur, ipsique argumento adaptata. Pro diversitate enim ar-

c) Cic. Epist. ad famil. I. 5.

gumenti, ac personae, sentiendi quoque, et eloquendi variat ratio. Aliter viique scribendum patri; aliter fratri, aut familiari; aliter de rebus quotidianis, et levioribus; aliter denique de rebus seriis, et gravioribus.

5. Alterum, quod summo non minus studio curabimus, est: ut omnis epistola sit *decora*. Eiuscemodi habebitur: in qua videbuntur inesse, quae solent apparere in veritate, et quae non modo sanae menti: sed morum etiam gravitati sunt consentanea. d)
6. De dispositione in familiaribus epistolis nihil est: quod praecipi possit; in gravibus autem, quo res ordine locandae sint; ex oratorum institutionibus est petendum.

DE ELOCUTIONE.

7. Quatuor habere dotes epistolae convenit: ut *simplex, brevis, dilucida, et venusta* sit.

d) Neque intelligentiam concesseris iis: qui proposita honestorum, ac turpium via, peiorem sequi malint; neque prudentiam iis: qui gravissimas frequenter legum, semper vero malae conscientiae poenas a semetipsis, improvise rerum exitu, induantur. — Adde: quod ne studio quidem operis pulcherrimi vacare mens, nisi omnibus vitiis libera, potest. Quint. Inst. Orat. XII. I.

Simplex erit : si verbis quotidianis textatur. e)

Brevis : si nihil supervacui admisceas ; neque pluribus, quod paucioribus possis, verbis circum scribas.

Dilucida fiet : latine scilicet dicendo, verbis usitatis, ac proprie demonstrantibus ea : quae significari, ac declarari volumus ; sine ambiguo verbo, aut sermone ; non nimis longa continuatione verborum ; non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur ; non discerptis sententiis ; non praeposteris temporibus ; non confusis personis ; non perturbato ordine. f)

Venusta : si sermone utaris puro, id est : a soloecismis, et barbarismis immuni ; g) a

- e) *Epistolas verbis quotidianis texere solemus.* Cic. ad fam. IX. 21. *Qualis sermo meus esset : si una sederemus, aut ambularem, illaboratus, et facilis : tales esse epistolas meas volo, quae nihil habeant accersitum, nec fictum.* Seneca ad Lucil. ep. 75. *Non sunt alia sermonis : alia contentionis verba ; neque ex alio genere ad usum quotidianum : alio ad scenam, pompamque sumuntur ; sed ea nos cum iacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus, et fingimus.* Cic. de Orat. III. 45.

f) Cic. de Orat. III. 13.

g) *Ut latine loquamur : videndum est : ut verba efferamus ea : quae nemo iure re-*

atque item *eleganti*, qualem rectus usus participiorum, et particularum, reliqua item doctrina de ornata syntaxi efficit. Maximam tamen orationi conciliant gratiam voces rebus inanimis motum, vitam, et sensum tribuentes; h) aut imaginem rerum graphice exprimentes. i)

Multa passim grammaticae artis magistri latinitatis adducunt elegantis exempla, nec tamen, cur elegans dicatur, rationem adferunt. E. g. *Tui absentiam ae-*
b

prehendat; et ea sic casibus, et temporibus, et genere, et numero conservemus: ut nequid perturbatum ac discrepans, aut praeposterum sit. Cic. de Orat. III. 11.

h) Hoc in genere persaepe mihi admirandam videtur, quid sit: quod omnes translatis, et alienis magis delectentur verbis: quam propriis, et suis. — Id accidere credo: vel quod ingenii specimen est quoddam transilire ante pedes posita, et alia longe repetita sumere; vel quod is, qui audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat; quae maxima est delectatio; vel quod singulis verbis res, ac totum simile conficitur; vel quod omnis translatio, quae quidem sumpta ratione est, ad sensus ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus. Cic. de Orat. III. 39. 40.

i) Magna virtus est: res, de quibus loquimur, clare, atque ut cerni videantur, enunciare. Quintil. Inst. Orat. VIII. 3.

gre fero latinum quidem esse dicunt, et proprium: sed elegantius esse: *Tui desiderium non fero*; quin admoneant: voce *desiderium* animi motum gravem designari, cui sis impar ferendo. Item *Terret me loci novitas*; elegantius: *Moveor insolentia loci*. Verbum *moveor*, quod motum indicat, huius elegantiae parens est. Item: *Laboro temporis angustia*; elegantius: *Temporis angustiis excludor*. Verbum *excludor* tribuit actionem temporis angustiis. Item: *Mutavi sententiam*; elegantius: *Abii, discessi a sententia*. Verba *abeo, discedo* motum et sensum significant. Item *Dubito*; elegantius: *Incessit, venit mihi dubitatio*. Vtrumque verbum motum, et sensum denotat. Sed de his satis.

Venustatem quoque conciliat epistolae sermo *eruditus*; proverbiiis videlicet, veterum dictis, et factis interstinctus, nec non facetiis respersus.

8. Haec sunt: quae de epistolis praecipī posse iudicavimus. Monitos autem velim adolescentes: ut ab eorum inepto usu k) sibi caveant; id quod frequenti Ciceronis, alio-

k) *Qui aut tempus quid postulet: non videt; aut plura loquitur; aut se ostentat; aut eorum, quibuscum est, aut dignitatis, aut commodi rationem non habet; aut denique in aliquo genere aut in concinnis, aut multus est: is ineptus esse dicitur.* Cic. de Orat. II. 4.

rumque bonorum auctorum *lectione*, l) et *assidua exercitatione* m), adipiscuntur.

9. Erat in animo, ad formandum iuvenulorum iudicium, exemplo *Gellertii*, vnam, alteramve epistolam exhibere, earumque cum virtutes: tum vitia ad nostrae doctrinae leges aestimare; sed veritus: ne actum agere viderer: cum *Gellertius* id ipsum in libello supra laudato praeclare praestiterit: a proposito discessi. Attamen vnam e *Neukirchii elegantibus*, ut ei appellare visum est, epistolis latinam fecimus, et observationibus *Gellertii* ea de causa illustravimus: ut monstrosae dictionis exemplo serviret. Est autem gratiarum actio; is vero, cui missa fuit, inter aulae procures vir dignitate conspicuus, munificus adhaec *Neukirchii* patronus. Genus itaque epistolae grave, gravem sermonem, gratique, ac reverentis animi significationes habentem postulat. Non prohibetur quidem cliens in laudes patroni excurrere: sed modeste, non immodice; aut referendae gratiae studium impetu quodam mentis explicare: sed citra nugas tamen, et ineptias.

l) *Omniū bonarum artium scriptores, ac doctores et legendi, et pervolutandi.* Cic. de Orat. I. 24.

m) *In omni disciplina infirma est artis praeceptio sine summa assiduitate exercitationis.* Rhet. ad Herenn. III.

Illustrissime Domine!

Si ego tam prodigus verborum sim: quam tu es beneficiorum: agendis pro hodierno munere gratiis impar sim.

Verum haec te nihilo pauperiorem faciunt; cui novae copiae identidem affluunt ad benefaciendum mihi; ego contra insumptis meditando diebus saepe octonis, vix vnam invenio sententiam: quae vel animi tui describendae magnitudini: vel meae beneficiorum fideli memoriae sit excolendae idonea.

Saepe numero quidem mihi proposui: omnia mea sensa simul ac semel profundere, et quaecunque a te sum consecutus, vni panegyrico includere: sed post

Hochwohlgebohrner Herr!

Wenn ich so verschwenderisch mit Worten: als Ew. Excellenz mit Wohlthaten wäre: so würde ich schon nichts mehr haben, womit ich mich für Dero heutige Gnade bedanken könnte.

Alein Sie werden dadurch nichts ärmer; denn Sie haben alle Augenblicke neues Vermögen mir gutes zu thun; da ich herabgen oft acht Tage sinne: ehe ich nur eine Medensart finde, welche sich entweder zur Beschreibung Dero blossen Gemüths, oder zur Ausbildung meiner unterthänigsten Erkenntlichkeit schickt.

Ich habe mir zwar vielmal fürgenommen, meine Gedanken auf einmal auszuschütten, und alles, was ich von Ew. Excellenz bisher empfangen, in eine eine

quam Plinium a capite ad calcem perlegissem, atque omnia veterum aequae, ac hodiernorum assentatorum poemata ruspatus fuisset: tum demum intellexi: tibi aliquid parari neminem, tuumque novum prorsus, et singularem animum, novas quoque, et singulares dicendi figuras sibi deponere.

Nec est, quod in hanc curam in cumbere detrectem; at vereor: ne, quod plura dixerò, eo plura fundere mendacia infimuler; neque enim fieri potest: ut tibi quis persvadeat: te tot, ac tanta uni homuncioni advenae contulisse. Itaque, rationis ductum secutus, filebo potius.

Nosti pectus meum! in hoc omnes apices orationi servituros deprehendes. Ipse tibi me-

zige Lobsschrift zu fassen; aber nach dem ich den ganzen Plinius gelesen, und alle Schmelzelgedichte der alten, und heutigen Poeten durchstankert: so habe ich allererst gesehen: daß Ew. Excellenz Ihres gleichen noch nicht gehabt, und daß Dero neue, und ungemeine Gemüthsart, auch neue, und ungemeine Formeln erfordert.

Nun wollte ich mich auch hierum wohl bemühen; allein ich fürchte, je mehr ich sage: je mehr werde es die Welt für Lügen halten: weil sie doch unmdalich glauben kann: daß Ew. Excellenz dieses alles an einem einzigen, und zwar fremden Menschen erweisen. Ich thue also viel vernünftiger: wenn ich schweige.

Ew. Excellenz kennen mein Herz! und finden alle Buchstaben darinnen, welche zu eis-

los panegyricum compone, et patere summa reverentia mirari: quae alia ratione rependere nequeo: quam profirendo me tui observantissimum clientem,

ner Rede vonnöthen seyn. Sie machen sich Ihr Loblied selber, und seyn zufrieden; daß ich mit unterthänigstem Respekt bewundere, was ich doch nicht anders veraelten kann: als daß ich mich nenne Ew. Excellenz unterthänigen, und gehorsamsten Knecht.

Quam absorbus ingressus! *Inter inventiunculas referendus, quae, ut Quintilianus ait n) excussae risum movent, inventae facie ingenii blandiuntur.* Quod, oro, specimen prudentiae de viro praepotente affirmare: in praestandis esse benefactis prodigum; iniectaque mentione paupertatis eum percellere, quasi si benefaciendo periculum sibi consciscat eius subeundae. Quibus deinde metum hunc elevat: iisdem quoque fautoris benevolentiae multum detrahit. Qui enim omnibus copiis indefinenter circumfluit:

tantine id censerī potest : si, quod super-
 fluit, in clientis vsum defluere patiatur ?
 Quod tandem modestiae documentum : si
 cliens pro minus prodigo se iactet ? Quae
 species veritatis : mentiri verborum inopi-
 am ad agendas gratias : si eas tantopere pro-
 fundat : quantopere beneficia patronus ? Quis
 enim iisdem vti verbis iterum, iterumque
 nequeat : quibus vel sexcenties iam vsus est ?
 Quam humilia, quam vltra modum exagger-
 rata : meditatione dierum octo vnam sen-
 tentiam, vel ad animum patroni describen-
 dum : vel ad suam beneficiorum memoriam
 indicandam, excogitari non posse. Quam
 abiecta, inurbana etiam, quam a veritate
 prorsus aliena : quae, de lecto Plinio, et
 assentatorum poematis commemorat ? Ita
 ne nullas praeconio dignas inesse dotes pa-
 trono censuit ; ideoque ad foedam assenta-
 tionem confugiendum ? Quae impudentia ve-
 reri : ne, si laudibus patronum mactet, men-
 dacia fundere videatur ? Quam puerilia, et

vere delira : cum provinciam desert patro-
no : ut e litteris , quas in pectore clientis
ad unam omnes deprehendet, ipsemet sibi
suum melos componat ? Haec hactenus.
Quibus unum hoc adiicio : hanc epistolam
neque moribus scribentis, nec eius, ad quem
scribitur, nec ipsi argumento esse accommo-
datam, adeoque *moratam* non esse ; sed
neque *decoram* : quod in ea multa sint a
veritate aliena ; multaque non modo sanae
menti ; sed morum etiam gravitati dissenta-
nea. An *venusta* saltem censeretur possit, qui
scire volet : laudatum Gellertii libellum in
consilium adhibebit.
